BIBLIA LATINA, BD. 1
Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.
Seite 387r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

uita illius. et inmutate sunt uie
eius. Tanquam nugaces estimati
sumus ab illo. et abstinet se a uiis
nostris tanquam ab inmundiciis
et prefert nouissima iustorum.
et gloriatur patrem se deum habere. Vide-
amus ergo si sermones illius
ueri sunt. et temptemus que uen-
tura sunt illi. et sciemus que erunt
nouissima illius. Si enim uerus est
dei filius. suscipiet illum et libe-
rabit eum de manibus contrariorum.
Contumelia et tormento interro-
gemus illum. ut sciamus reue-
renciam illius. et probemus paci-
enciam eius. Morte turpissima
condempnemus eum. Erit enim
ei respectus ex sermonibus illius.
Hec enim cogitauerunt. et errauerunt. ex-
cecauit enim illos malicia eorum.
et nescierunt sacramenta dei neque
mercedem. spreuerunt iusticiam
nec iudicauerunt honorem anima-
rum sanctarum. Quoniam deus
creauit hominem inexterminabi-
lem. et ad ymaginem sue simili-
tudinis fecit illum. Inuidia autem
dyaboli mors intrauit in orbem
terrarum. imitantur autem illum
qui sunt ex parte illius. III
Iustorum autem anime in manu
dei sunt. et non tanget illos torm-
entum mortis. Visi sunt oculis
insipiencium mori ~~et estimata~~
est et estimata est afflictio exitus
illorum. et ab itinere iusto abie-
runt in exterminium. et quod a nobis
est iter exterminium. illi autem sunt
in pace. et si coram hominibus tor-
menta passi sunt. spes illorum
inmortalitate plena est. in pau-
cis uexati. in multis bene dispone-
tur. Quoniam deus temptauit eos.
et inuenit illos dignos se. tanquam
aurum in fornace probauit illos
et quasi holochausti hostiam acce-
pit illos. et in tempore erit respectus
eorum. fulgebunt iusti et tanquam
scintille in arundineto discur-
rent. Iudicabunt naciones et do-
minabuntur populis. et regnabit do-
minus illorum in perpetuum. Qui
confidunt in illo intelligent ueri-
tatem et fideles in dileccione acqui-
escent illi. quoniam donum et pax est
electis illius. Impii autem secundum que
cogitauerunt correccionem habebunt
qui neglexerunt iustum et a domino
recesserunt. Sapienciam enim et
disciplinam qui abicit infelix
est. et uacua est spes illorum
et labores sine fructu. et inhabita-
bilia opera illorum sunt. Mulie-
res illorum insensate sunt. et
nequissimi filii eorum. Maledic-
ta creatura illorum. quoniam felix et
sterilis et incoinquinata que non
sciuit thorum in delicto. et habebit
fructum in respeccione anima-
rum sanctarum. Et qui non
operatus est per manus suas in-
iquitatem. nec cogitauit ad-
uersus deum nequissima. da-
bitur enim fidei illi donum electum

Sapia.